

12255

1

**BERNARDUS**  
**DEI GRATIA**  
**EPISCOPUS**  
**TRIDENTINUS &c.**

C  
6  
9/4



3

REIMPRESS. TRIDENTI M.D.CCVII.

Apud Joannem Paronum Impressorem Episcopalem.  
 SUPERIORUM PERMISSU.





Acratissimum Justinianum Imperatorem, accepimus, nunquam diva suarum rerum editione, neque illos qui eum, aut alios forent imitati Legistas, exquisita satis adhuc consultandi ratione tot Codices Legum conscripsisse, ut cunctis mortalibus ad plenum consulere potuerint. Nam etsi genus quoddam juris Civilis in medium teneant, ad speciales tamen, &, ut ita dicam, minutos casus toti humano generi, ac suorum decretorum industriâ minimè suffragari potuisse in dies magis, ac magis Civitates experiuntur; tùm propter multifarias dissimilitudinum circumstantias, tùm propter Inhabitantium situs: quamobrem qui in Civitatibus vel naturâ, vel litteris, cæteris hominibus præstarent, posse sibi conficere, atque alijs Statuta consuetudinaria (plebe tamen consentiente) quò sanius, tutiusque gubernarentur, & in suis statibus cum felicitate perviverent, sanctè à Veteribus statutum est. Verùm quia temporum mutatio alios mores, aut aliam vitam sibi sæpenumerò efficit, nec eorundem prudentia in ea justitiæ, & æquitatis claritate esse nunquam valuerit ita accuratissima, quin nonnulla hujusmodi Plebiscita vel defectum nonnunquam, vel quandoque superabundantiam alicubi terrarum paterentur, quo fit, ut nos Civitatis Trident. Provisores, & Consiliarij, quod aure percepimus, nostra Civitas re ipsa experta sit, in nonnullis enim nostris Legibus municipalibus, sive Statutis, illa duo extrema advertimus, quæ nobis nequaquam, sed divinâ gratiâ confisi ausi sumus abrogare: neque velim, Lector, arbitreris sic simpliciter à nobis nostræ Civitati esse consultum voluisse, ut manus à præsumptione quadam impetita ante cucurrerit ad hanc emendationem, quàm animus intra conscientiæ districtum loqueretur, non annua, sed multorum annorum fuit in hac re præmeditatio, longa fuit jam speculatio, longa fuit scrutiniij deliberatio, longaque hujus maturæ deliberationis consideratio, nec solum nostrates prudentiores, atque litteratos viros consulimus, verùm etiam alienigenos præcipuos, & Legum instructissimos; ut igitur nostræ Patriæ, qua nihil in rebus humanis charius esse debet, sufficientius succurreremus, utque Dominorum nostrorum statum, (quorum obedire mandatis ingens quippe religio est) laudabiliùs excoleremus, quintuplici via ea à nobis facta sunt. Quædam etenim Statuta, quia nullus usus cum rerum experientia conveniret, in totum subtraximus: nonnulla etiam, quia non parvæ forent utilitatis ab honesto non aberrantis, in totum subiunximus: in aliquibus additionem fecimus, quia talis lex tale augmentum suapte natura desiderare videbatur: aliquorum amovimus superfluitatem, quia correctio urbanitati magis inserviret: à quibusdam verò alijs non parum implicitis, quia satis vasta essent, quasi quædam labyrinthi in extricabilitas introitu luminis, & filo claritatis obscuritas propulsa est, ut aut hujus caliginis confusio intelligendi serenitate lucretur, aut infrugalis verborum dicacitas à modesta dictionis parcitate abeundi licentiam pedetentim fumeret: aut ut nimis jejuna oratio idoneæ alicujus sententiæ cibo saturaretur, aut novitas adiunctorum serie utilioris operis integritatem super induceret: aut ut tandem à quorundam totali refectione, quæ nihil nobis unquam proficerent, damno quoque nobis esse non possent: sicq; ipsa Statuta in tres partes composita sunt, quarum prima de civilibus disceptationibus, quæ plerumquæ fori pallatini ad jurisdictionem dominorum ab antiquo pertinuisse noscuntur, primo libro edita sunt. Secundo verò libro posita sunt Statuta, & Provisiones Civitatis Tridenti, Civibus cum Districtualibus antiquissimè pertinentes ad felicem, & utile regimen, & statum dictæ Civitatis, ut ipsa Civitas cum Districtualibus feliciter, opulentissimè, & fertiliter gubernetur, quæ quidem Statuta, Ordinationes, & Provisiones spectare, & pertinere dignoscuntur ab antiquissimis tempo-



temporibus citra, felicitis gubernationis dictæ Civitatis Reverendissimorum Patrum, & Dominorum Bartholomæi Endrici, Nicolai Alberti de Ortembur: Georgij Liechtenstainer de Austria, Episcoporum, & Dominorum Tridenti, & Jurisdictionum suarum, & multorum aliorum Prædecessorum Dominorū Episcoporum ad officium Syndicorum Communis Tridenti, & eorum regimen, & cognitionem, & pronuntiationem ad executionem dicti sui officij. Tertio verò volumine tantum punitiones mero, & mixto imperio pertinentes, pro correctione, & punitione malorum conscripta sunt. Hæc autem correctio, suppletio, & compilatio, ipsorumque nova Statutorum editio prodijt in lucem novissimè sub Reverendissimo in Christo Patre, & Domino, ac Principe Illustrissimo Dom. Bernardo de Clesio, Dei gratia Episcopo Trident. & Serenissimi, ac Potentissimi Ferdinandi Hungariæ, & Bohemiæ Regis, ejusdemque Archiducis Austriæ, &c. Consilij secreti Præsidente, & ejusdem supremo Cancellario: anno Nativitatis Domini nostri Jesu Christi, millesimo quingentesimo vigesimo septimo: Regnantibus Sanctissimo in Christo Patre, & Domino Domino Clemente Divina Providentia Papa VII. & Inviçtissimo, ac Sacratissimo Carolo Hispaniarum Rege, eodemque Romanorum Imperatore electo semper Augusto; cujus quidem Reverendissimi Domini Episcopi Bernardi antedicti auctoritate, & assensu, eodem anno vigesimo septimo, qui fuit ab electione sua annus tertius decimus,

hujusmodi Statuta, & Plebiscita emendata, & quæ correctione non indigebant, simul cum reliquis omnibus confirmata fuerunt, præstante Deo, qui est benedictus, & benedicendus per infinita sæcula sæculorum. Amen.





BERNARDUS

DEI GRATIA  
EPISCOPUS  
TRIDENTINUS &c.



REIMPRESS. TRIDENTI M.D.CCVII.

Apud Joannem Paronum Impressorem Episcopalem.  
SUPERIORUM PERMISSU.





I N C I P I T  
LIBER SECUNDUS

S T A T U T O R U M  
T R I D E N T I N O R U M ,

ſpectantium ad Officium Syndicorum.

P R O P O S I T I O .



**H**ÆC ſunt Statuta, & Ordinamenta ſecundum antiquiſſimam conſuetudinem ad Officium Syndicorum Tridenti ſpectantia, ad laudem, & gloriam Domini Noſtri Jeſu Chriſti, ejuſq; Virginis Glorioſæ, & totius cæleſtis Curiaë triumphantis, Reverendiſſimi in Chriſto Patris, & Principis Sereniſſimi, & Domini; D. noſtri Domini Alexandri Dei gratiâ Epilcopi Triden. digniſſimi, Ducilque Maczoviaë, per ipſum ſuo tempore, deinde per Reverendiſſimum Dominum D. Bernardum Cleſium Dei gratiâ Epilcopum Tridentinum ſucceſſivè aucta, declarata, & confirmata ad bonum, quietum, & pacificum ſtatum ſuum, & ejus Civitatis Tridentinæ, & ad reprimendum animum malorum præponentium utilitatem ſuam bono publico, & inobedientium.

Quòd Syndici cognoscere debeant de quæſtionibus ad  
oculum inſpiciendis. Cap. I.

**P**Rimo ſtatuiſmus, & ordinamus, quòd Syndici Civitatis Tridenti, cognoscant, & cognoscere debeant de omnibus quæſtionibus, rixis, & differentiis viarum, terminorum, rozalium, canalium, ſtillicidiorum, edificiolorum, murorum, latrinarum, columnarum, & earundem ſimilium quæſtionum, quæ inſpiciuntur ad oculum: & prædicta omnia cognoscantur per eos ſummarie, de plano, ſine ſtrepitu, & figura Judicij, & abſq; libelli oblatione, & ſine debito terminentur cum Conſilio bonorum hominum juratorum, & quòd victus ſolvere victori expenſas condemnetur, non obſtante, quòd litis conteſtatio non ſit facta, & juris ſolemnitas non fuerit obſervata, & quòd talis condemnatio, tam ſuper principali, quàm ſuper expenſis, modis omnibus executioni mandetur, ſtatuto termino tamen ad ſuam deſenſionem faciendam parti petenti; niſi Syndici contra juſtitiam gravaveſſent partem, quæ tunc poſſit appellare ad Judices Appellationum Civitatis Tridenti, qui debeant cognoscere, & de-



BERNARDUS  
DEI GRATIA  
EPISCOPUS  
TRIDENTINUS &c.



REIMPRESS. TRIDENTI M. D. CCVII.


Apud Joannem Paronum Impressorem Episcopalem.  
SUPERIORUM PERMISSU.





I N C I P I T  
**LIBER TERTIUS**  
**STATUTORUM**  
TRIDENTINORUM,

De Criminalibus.



**De Juramento fidelitatis Domino Episcopo servando, &  
de pœna infidelitatis. Cap. 1.**



**I**n primis statuimus, & ordinamus, quòd omnes, & singuli Officiales, Consiliarii, Provisores, & Procuratores, & cæteri Cives Civitatis Tridenti, omnesq; Syndici, Anciani, Consules, & cæteri Officiales Plebatuum, Villarum, Castrorum, & Burgorum Diœcesis Tridentinæ, ac cæteri Jurisdictionis Episcopatus Tridenti, teneantur, & debeant jurare corporaliter, ad Sancta Dei Evangelia, se velle juvare, & manutenere ipsum Dominum Episcopum Triden. in omnibus suis Juribus, Jurisdictionibus, Honoribus, & Consiliis, & sequi suum Capitaneum, & eorum signa, & vexilla cum personis, equis, & armis, quotiescunq; opus fuerit, & obsequi, parere, & satisfacere omnibus generibus suorum mandatorum, & pura devotione, toto posse, subiectivè gerere vices ipsius Domini Episcopi sibi commissas, absq; dolo, & fraude, & sua officia fideliter exercere, & semper justum, & verum consilium ipsi Domino Episcopo, suoq; Capitaneo præbere; & si ad aures ejus pervenerit quidquam, quod posset inferre damnum, jacturam, & detrimentum personæ ipsius Domini Episcopi, vel suæ Urbi, Burgis, Castris, Villis, & Locis, quam citiùs poterit per se, vel per suum specialem nuntium revelabit, & dicet ipsi Domino Episcopo: Et si quod secretum fuerit sibi commissum, & injunctum, per ipsum Dominum Episcopum, vel per suum Capitaneum, vel per alium suum Officialem, & nuntium, nemini propalabit, & semper contra suos hostes inimicum se constituet.

**De his, qui conpirationem, conjurationem, aut per-  
petrationem fecerint in detrimentum Domini Episcopi. Cap. 2.**

**I**tem statuimus, & ordinamus, quòd si qua persona fecerit aliquam conpirationem, vel conjurationem, seu perpetrationem cum aliqua persona, Com-